

93. Cui cum tertio loco meriti ac cultus opinionem assuant, tanto plus vitij, peccati, impietatis ac blasphemiae illud obtinere manifestum est.

Π Ο Ρ Ι Σ Μ Α.

Ex Art. 2. abus. mutat.

QUERITUR: An ulla aliqua sit humana potestas vel autoritas, quã Sacerdotibus, vel ordini Ecclesiastico prohiberi possit Conjugium: & sic hoc genus hominum Continentiã voto astringi: ut nec ducere ipsi uxores, nec uxoribus antea ductis, uti amplius post ordinationem possint: adeo ut si diversum fiat à quopiam, non modo ministerium ipsius totum reddatur inefficax: ipsum etiam matrimonium dissolvendum: sed & pœnis ac supplicijs capitalibus in talem hominem sit animadvertendum? Negantem contra pontificios tuemur, ijs potissimum freti rationibus, quæ Articulo secundo mutatorum abusum, fusè & accuratè à Confessoribus nostris enarrantur & explicantur: Quæ singula repetere, nimis molestum foret.

DISPV.